

DIALOGVS
TEMPLI IMPERFE-
CTI, ET SCHOLAE PERFE-
 ctæ Societatis IESV Mo-
 nasterij.

AD REVERENDVM,
CLARISSIMVM, CONSULTIS-
 SIMVMQVE D. GODEFRIDVM GRO-
 perum I. V. Doctorem, Ecclesiæ Metropolita-
 næ Coloniensis Canonicum Presbyterum, Re-
 uerendissimi, & Serenissimi Archiepiscopi, ac
 Principis Electoris Coloniensis, necnon Admini-
 stratoris Monasteriensis, &c. Consiliarium inti-
 mum, Prouinciæ Vestanę Præfectum, Domi-
 num, & Mæcenatem plurimum
 colendum.




Monasterij VVestph.

Typis Lamberti Rassfeldt.

ANNO M. D. XCV.

PSALMO XXV.

Domine dilexi decorem domus
tuæ: & locum habitationis gloriæ
tuæ.



PSALM. CXXI.

Si dederō somnū oculis meis, &
palpebris meis dormitationē. Et
requiem temporibus meis: donec
inueniam locum Domino, taber-
naculum Deo Jacob.

Templum.

Alma soror patriæq. salus, pubisq. voluptas,
Musarū domus, eximiū super astra cacumē,
Murorumq. minascœli cum vertice misces:
Et fremitu assiduo tua phrontisteria feruēt
Vndiq., & ingenti iactaris murmure famæ.
Specto, nec inuideo decus hoc, sed gratulor orbi.
Hæc hæc gentis erunt armamentaria nostræ;
Hæc tua vicinas ditabunt horrea terras.
Verum quod fatum, quæ me fors improba voluit:
Ut cum nos ambo fundarit principe saxo
Idem unusq. suæ GROPPERVS gloria gentis;
Solum ego destituar, solum affectumq. relinuar,
Quod tamen ante tuos decuisset stare penates?
Iam certò experior: domini præsentia verè
Sola saginat equum. GROPPERI absentia nostri,
Pauperies ve grandis, inextricabile damnum:
Hæc me vel medijs vetuerunt scandere muris.

Schola.

Depone hos luctus, & inanes mitte dolores.
Ne te posthabitum tam tristi voce querare.
Veni equidē antè, tuos ortus præuerfa, sub auras,
Non autem, ut reris, sacra ceu dignior æde;
Sed quia sic suasit natorum cura meorum,
Quorum in spelæis pridem, & cæcis hypogæis
Semisepulta luto turpari crura dolebam,
Perpetuæq. umbra corrumpi noctis ocellos.
Ne precor hanc igitur commoto pectore Templum,
Indignare moram, tempus nunc appetit illud,
Quo te GROPPERI simili quoq. munere ditet

Larga manus, sic spes fulget, sic ipse recepit,
Quid? num Gropperus viuis, spiransq. videbit
Abrumpi sua cœpta? sinet sua cœpta relabi?
Tam pia cœpta sinet Gropperi cura relabi?
Non ita. Sunt alia feruenti in pectore flammæ,
Longè aliter subditq. faces, stimulosq. medullis
Suffigit pietas; iamq. illi viscera coxit,
Iamq. agit, vt veluti Musarum ad culmina duxit
Gymnasia, impubes quibus innutrita iuuentus
Formetur rectis studijs sub voce magistra;
Sic te perficiat, seq. inter nubila tecti
Suspiciendus honos Gropperi munere condant,
Sub quo præsentis Mystes faciatq. tonanti,
Et pia plebs glomerata ruat, glomerata iuuentus
Deproperet pia vota Deo, insistatq. fateri,
Atq. piare simul veteris postscenia vitæ,
Hoc opus, hic labor est, totis hoc viribus ardet,
Hoc ipsum ut peragat nostras penetrauit in ædes.

Templum.

Verane cōmemoras? miserone hæc specula saltem
Est reliqua? O igitur nostris comes addere votis,
Vestrarumq. manu mecum comitata fororum
Coram affare virum, inq. pias effusa querelas
Concute facundum pectus, questusq. precesq.
Congemina, molliq; animos, & pectora flecte,
Si tam proluxa est pietas, animusq. benignus,
Annuet optatis, finem imponetq. dolori.

Schola.

In me quidquid erit, quidquid de pectore riui
Fluxerit, hoc totum cupio tibi seruiat vni.

Ergo

Ergo agite, O socię, quęcunq, per ardua sparsę
Limina, diuersis florentes artibus annos
Imbuitis, templi accisis succurrite rebus,
En ut congesti lapides, corpusq. relictum,
Semiq. facta iacent sacri laquearia templi.
Nec vos hæc tangunt? mecum properate sorores,
Venit ab augustis Vbijs, & diuite Rheno
Inceptor tam sancti operis, subijtq. penates.
Obuia fautori producite carmina tanto,
Auxilium ipse suis auctor bonus afferat orsis.

Theologia.

IBimus, hæc eadem nam nos quoq. cura remordet,
Quiduis pro templo tecum tentare paratæ.

Schola.

MAxime vir nostri cęptor, nostri optime custos
O salue, O nobis adueneris omine fausto.
Aspicis hæc lento crescentia tecta labore,
Quęq, manus largas opera interrupta reposcunt?
Hæc tristis binas hiemes harentia cerno
Rudera, & incertis opibus subnixa iacere,
Quę fors æterno iam starent templa Tonanti,
Et sacra iam puris precibus, iam thure calerent.
Vnum triste malum cuncta hæc remoratur egestas
Hæc, inquam, monstrum dirum, illatabile egestas
Ausa est (o scelus) hæc tua regia frangere cępta,
Quodq. tua templum cępisti ponere dextra
Suspensum vulgi diris exponere sannis.
Hanc debellatam nostris à finibus arce,
Si saluum vis esse tuum tua munera templum.
Sed non portentum contra hoc ferale gerenda,
Res ferro est, armis tantum pugnarier aureis.

Hic decet. Ergo agedum, atq. auri leue corripe pondus,
Et templo imperti. fugiet letalis egestas,
Ac, ceu fulminibus de cœlo tacta, peribit,
Et viuet templum, Petriq. arx alta manebit.

Theologia.

Nec vero hæc solùm vexant incōmoda templum,
Me pungunt pariter. iaceo sacra æde iacente,
Omnia sacra iacent mecum: Surgenteq. templo
Surgere mi dabitur, surgentq. sacra omnia mecum.
Dispice quid possis, quantis obstringere vinclis
Me, superosq. queas. multum debēbit Olympus,
Multum homines Godefride tibi, multū omnia sacra,
Si per te hæc phani nascetur machina Diuis.

Dialectica.

Cvnēta profana autē quid sunt, si sacra premūtur?
Vt sine sole dies, sine vento lintea puppis,
Absq. alis volucris, cæcus sine luce viator.
Artibus ergo suum ingenuis nunc reddito solem,
Mentibus excelsis, atq. alta petentibus auram,
Ingenijs rectis pennas, cæcisq. lucernam.
Omnia præstiteris, si stet te præside Templum.

Rhetorica.

Ergo ades, inclyte vir, nostramq. reuisis ad urbem,
Qui quondam albatus, sacroq. decorus amictu
Rite pius inum concepto carmine saxum,
Auspiciibus superis, nostri ad fundamina templi
Iecisti, & tantam fecisti assurgere molem.
Felix principium, tali quod ab auspice captum est.
Nam qui unquam non sit felix auctoribus uti

GROPPERIS? verum merito iam triste putetur,
Quod fuerat felix, si tam felicia cœpta
Exitus infelix, Diui prohibete, sequatur;
Tuq. etiam prohibe, prohibendi est prompta facultas.

Poëtica.

Quin&, ni fallor, prohibendi est prompta voluntas.
Sic vultus loquitur, sic frons, quã candida circum
Latè habitat pietas. Diuæ compescite luctum,
Sacra breui hæc ades Gropperi munere stabit,
Ni falsum augurium mihi mens prænuncia monstrat,
Namq. illi nec opes, nec mens largissima defunt,

Grammatica.

Infelix genitrix, uno tantum vberere cogor
Innumeros nutrire greges, puerilia dico
Agmina, queis unam fas est mihi porgere tantum
Doctrinæ mammam. melius mihi deficit uber,
Quo pietatis eis possim instillare liquores:
Hoc templum est. Tu, qui potis es, succurre dolenti.
Innocuas animas, teneros miserare puellios,
Lac sitiunt, lac unde petant da surgere templum.

Templum.

Magne Heros, doleo quando vrbs te tota salutat,
Ipsi etiam visi venienti applaudere muri,
At mihi fas non esse tuo submittere honori
Possè caput, quod adhuc informi à corpore defit.
Hei, quam deformes pendent sine vertice muri.
Tu spes sola mihi, misero, precor annue culmen.
Per te equidem cœpi, per te iam mole mea sto,
Fac etiam per te cælo fastigia tollam.

Scho-

Schola.

Ne vero interea res obliuiscere nostras.
Namq. & nos tua cura sumus; precor, annue promptus.
En schola iam vigeo, me florent atria circum
Palladia, & variis distinguunt classibus ædem.
Ast utinam qua pube teror, quot pandor alumnis,
Tot mea pauperies possit praestare magistros:
Sed vix iam multis tenuis prouentus ab annis
Est satis. auxilio sis Vir clarissime; crescat
Te fautore Schola, & iustis prouentibus aucta
Sit par formanda, quæ affluat undiq., publi.
Hæc est summa manus quam totis posco medullis:
Hanc tua te pietas nostris imponere rebus
Suadeat, & tanti fructus incensa cupido.
Interea teros sis fortunatus in annos,
Multaq. viuendo vitalia sæcula vince,

F I N I S.

